



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Venusinæ, postea Æsinatis, ac demùm  
Parmensis Ecclesiæ Vicarii Generalis, &c. Formularium  
legale practicum Fori Ecclesiastici**

in quo formulæ expeditionum usufrequentium de his, quae pertinent ... ;  
cum appendice plurium constitutionum apostolicarum

Formularii Legalis Practici Fori Ecclesiastici Supplementum - In Quo Non  
Solum Omnes Feré Formulæ, quæ in præcedentibus tribus Libris  
continentur, novis quamplurimis adnotationibus Legalibus Practicis, ac  
Sacrarum Congregationum Responsis roborantur; verùm etiam nonnullæ  
aliæ, quæ ad Operis ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1732**

Decreti reductionis contractus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62442)

minutione, obtinissent, hærede Fior-  
dalise reclamante Sac. Congreg. 9. Junii  
1701. prævio recessu à decisis, declaravit  
dd. Altaristas teneti celebrare ad formam  
conventionis.

467 Et in alia *Affisien.* Cùm PP. Tertii Or-  
dinis S. Francisci onus Missarum vigore  
contractus suscepissent, & postmodum  
reductionem peterent, propter inæquali-  
tatem reddituum capitalis assignati, asse-  
rentes contractuum effectum fuisse læsi-  
vum, die 23. Aprilis 1701. Sac. Congreg.  
rescripsit, *Oratores adeant Judices suos.*  
Et in alia *Neapolitana* 27. Januarii 1703.  
& in *Romana* 19. Aprilis 1704. contra  
Beneficiatos Basilicæ Lateranen. Et sic  
indubitatum videtur, quod Sac. Con-  
gregatio Missas conventionales non re-  
ducit.

468 Unde quoties hujusmodi contractus su-  
sceptionis onerum Missarum, tractu  
temporis injusti, & iniqui efficiantur,  
propter nimiam inæqualitatem reddituum  
assignatorum, ad onus susceptum, ade-  
undus erit Judex ad hoc, ut illos reducat  
ad justitiam, & æqualitatem, ut jam ibi  
monui, juxta Theoricam *Card. de Luca*  
*de feudis, disc. 73. num. 5.* & juxta moni-  
tum Sac. Congreg. datum in dict. *Affisien.*  
Imploratio autem officii Judicis, sic erit  
facienda.

### FORMULA

#### Implorationis Officii Judicis.

**D**ie . . . . Comparuit N. Procurator  
Rectoris Ven. Ecclesiæ N. prout do-  
cuit de speciali mandato Procuræ, quod de  
facto dedit tenoris, &c. coram Reveren-  
dissimo D. Vicario generali N. & expo-  
suit, N. Rectorem olim dictæ Ecclesiæ  
sub die . . . . mensis . . . . anni . . . . su-  
scepisse, & acceptasse onus perpetuum  
Missarum . . . . quolibet anno pro suffra-  
gio Animæ N. celebrandarum cum rece-  
ptione capitalis, seu fundi pro dicto one-  
re suscepto, annui redditus scutorum . . . .  
prout constare asseruit ex Instrumento pu-  
blico conventionis, & assignationis res-  
pectivè desuper stipulato prædicto anno,

rogitū N. cujus copiam publicam facto  
exhibuit, prout in filo, &c. Verum quia  
tractu, & vitio temporis fructus, seu  
redditus dicti capitalis pro dote assignati,  
notabiliter, & sine ulla Rectorum pro  
tempore culpa passi sunt diminutionem,  
& oneri suscepto minimè nunc correspon-  
deant, prout pariter docuit per examen  
testium (vel per aliud genus probationis)  
quod facto repetiit, &c. Et propterea  
contractus sit hodie effectus injustus, &  
valde Ecclesiæ prædictæ læsivus, ex quo  
reperitur quodlibet anno in damno; im-  
plorat humiliter officium Dominationis  
sue Reverendissimæ Judicis Ordinarii,  
*pro rescissione d. contractus, vel saltem*  
*pro reductione illius ad justitiam, & æ-*  
*qualitatem, prout juris est, petens, &c.*  
*omni, &c.*

Cui instantiæ Judex interponat decre-  
tum, quod citentur interesse habentes,  
cum insertionem supradictæ comparitio-  
nis. Exequuta citatione, si nihil rele-  
vans in contrarium deducatur, mandet  
denuo citari. *Ad videndum impariri,*  
*& interponi Officium Judicis pro redu-*  
*ctione contractus susceptionis oneris per-*  
*petui Missarum, de quo in actis, & ad*  
*justitiam, & æqualitatem illum reduci,*  
*&c.* Postea in termino dictæ citationis in-  
terponat decretum, quod poterit concipi  
modo sequenti.

### FORMULA

#### Decreti.

**Q**ui Reverendissimus D. Vicarius  
Generalis Judex Ordinarius, in  
termino citationis, &c. Visis juribus  
productis, & consideratis consideran-  
dis impartiendo, & interponendo suum  
imploratum officium, dixit, & pronun-  
ciavit fuisse, & esse locum reductioni  
contractus susceptionis oneris Missa-  
rum perpetui, de quo in actis, ad justitiam,  
& æqualitatem, prout ita illum  
reducendo, declaravit Missas in nume-  
ro . . . . quolibet anno per Rectorem,  
seu Cappellanos dictæ Ecclesiæ N. pro  
suffragio Animæ N. in futurum cele-  
bran-



brandas esse, & ita decrevit, & contractum ad justitiam, & æqualitatem reduxit omni, &c.

*Ita est, N. Vic. Generalis.*

*N. Cancellarius.*

469 Advertendum est, quod ista imploratio Officii Judicis, non debet fieri pro reductione Missarum, quam Judex ordinarius facere non potest, sed pro reductione contractus ad æqualitatem, ut notatur in Formula: Judex autem interponendo suum decretum, non recedat à Formula hic data, ne videatur, directè voluisse reducere Missas, quæ tamen ex natura, & necessitate reductionis contractus, reducuntur. Et hæc nota, quia casus non rarò contingit, & in praxi, quod sit servandum, forte alibi non inveniēs.

470 Num. 18. Visitator inquiret, an illi, qui habent Indultum Oratorii privati, servant requisita in eo præscripta, ut possit si invenerit illa non habere, Oratorium suspendere. Formula autem Brevis, quod expediri solet, est sequentis tenoris.

„ Dilecte fili, &c. Spiritualis consolationi tuæ quantum cum Domino possumus benignè consulere, teque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, &c. Supplicationibus, tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; tibi qui (ut asseris) de nobili genere procreatus existis, ut in privatis Domorum tuæ habitationis in Diocesi N. Ruri existentibus Oratorii ad hoc decenter muro extractis, & ornatis, seu extruendis, & ornatibus, ab omnibus Domesticis usibus liberis per Ordinarium loci prius visitan., & approban. & de ipsius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem Domibus celebrandi licentia, quæ adhuc daret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Sæcularem, seu de Monacelli, Formul. Suppl.

„ Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni Festis diebus exceptis, in tua, ac familiæ, & Hospitum Nobilium tuorum præsentia celebrari facere, liberè, & licitè possis, & valeas Authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, non obstantibus, &c. Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ Missæ actu non necessariis ibidem Missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus Festis de præcepto, minimè liberi censentur. Datum Romæ &c.

471 Quæ Formula Brevis inspecta, & recognita, loci Ordinarius antequam celebrandi in Oratorio licentiam concedat, debet advertere, an verificata sit clausula. *Qui ut asseris de Nobili genere procreatus existis*: Hæc enim clausula importat conditionem expressam, adeo ut ea non verificata, gratia corruat, ut dixit *Rot. coram Cerro, decis. 183. num. 15.* non habet in ventre aliam clausulam. *Si ita est*, ut ait *Add. ad Pamphil. decis. 438. num. 7.* Quare manifestè constat, quod qui qualitatem non habet, hoc privilegio uti non potest, licèt obtentum, cum tunc dicatur subreptitium, & ita esset, ac si non obtinisset.

472 An autem pro executione d. Brevis requiratur Nobilitas impetrantis ex utroque Parente, dubium oriri potest. Verùm ego de hoc interrogatus pro parte Episcopi N. qui post executionem datam tali Indulto favore cujusdam orti ex Patre Nobili, & Matre Ignobili, dubitavit de validitate licentiæ jam concessæ, respondi rectè se gessisse: quoniam Nobilitas Viri transfunditur in Uxorem, quæ radiis Mariti coruscet, quamquam ignobilis sit, & nobilis efficitur, ut tradunt communiter *Navar. cons. 15. nu. 2. 4. & 5. detest. Graff. decis. aur. par. 2. lib. 3. cap. 13. nu. 9. Sperell. decis. 157. num. 10. Card. de Luc. de dot. disc. 2. num. 9.* Et nobilitas Patris non denigra- 474